



Disputationum physicarum secunda, de physica in genere

<https://hdl.handle.net/1874/341626>

DISPUTATIONUM PHYSICARUM
S E C U N D A,
DE
PHYSICA IN GENERE.

Q V A M,
D E O O P T. M A X. A U X I L I A N T E,

S U B P R A E S I D I O

Clarissimi Doctissimique Viri

D. IOHANNIS DE BRUYN,

L. A. Magistri, Physices & Mathematices in
Almâ Academiâ Trajectinâ Professoris.

Publicè defendet

GERARDUS HALMA, Ultrajectinus.

Ad diem 13. Novembris, horâ nonâ matutinâ.



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS Gisberti à Zyll, & Theodori ab Ackersdyck,
c. 10. c. LII.

Illustriſimis, Præpotent. ac Nobiliſimis;

D.D. PROVINCIAE ULTRAJECTINÆ OR-
DINIBUS, Parriæ Patribus, avitæ Libertatis propugna-
toribus, & Orthodoxæ Religionis defensoribus strenuissimis.
Eorumque SECRETARIO fidelissimo,

UT ET

Clarissimis, Amplissimis, Prudentiſimisque

D.D. PRÆTORI, CONSULIBUS, SCABII-
NIS, Inclytæ Reip. Ultraject. Senatoribus. Eorumque
SECRETARIO dignissimo, Dominis suis;
NEC NON

Reverendis, Praefantiſimis, & doctiſimis Viris

D. REGNERO HALMA, Ecclesiæ Dei,
quæ Langerack colligitur, Pastori vigilantissimo, Patri suo
qnoad vivat, nunquam non colendo.

D. PAULO VOET, J. U. D.
& L. A. M. Metaphysices ac Logices in cele-
berrima Ultrajectina Academia Professori
Ordinario, & p. t. Rectori Magnifico.

D. JOHANNI LEUSEN,
L. A. M. Linguarum Orientalium peritissi-
mo, ac Lingue sanctæ in dicta Acad. Pro-
fessori clarissimo.

D. JOHANNI DE BRUYN,
L. A. M. Physices & Matheseos in dicta
Acad. Professori dignissimo Præsidi suo.

D. DANIELI VOET, L. A. M. &
Med. Doctori dignissimo, Philosopho eximio.

Præceptoribus suis, de se
studiisquesuis
optime meriti
& insuper
in dies mer-
titibus, honore
& amore per-
petuo sibi pro
sequendis.

DENIQUE

Doctiſimo & Ornatiſimo Iuveni

D. JOHANNI SOMEREN, Juris Utriusque
Studioſo diligentissimo, ſummo ſuo amico.

*Hacſe ſtudiorum ſuorum primitias
in G. A. S. D. D.*

GERARDUS HALMA, Reſp.

DISPUTATIONUM PHYSICARUM
S E C U N D A,
D E
PHYSICA IN GENERE.

T H E S I S I.

Physica Græcis naturæ doctrinam significat, derivatur διὰ τὴν φύσην, natura. Vulgo definiri solet, quod sit Scientia corporis naturalis, quatenus naturalis: unde objectum Physicæ distinguitur in *materiale*, & *formale*. Objectum *materiale*, sive materia, & res, quæ in Physicâ tractatur, statuitur esse corpus naturale: objectum *formale*, seu ratio formalis sub quâ corpus naturale hic tractatur, dicitur esse quatenus est naturale. Porrò per corpus naturale in definitione intelligitur, quod in se habet principium motus & quietis internum, id est quod est propriarum suarum operationum & quietis ab iis, causa. Unde concluditur, cum Physica dicitur agere de corpore naturali, quatenus naturali, à terminis Physics excludi artificialia, quæ, ut talia, non habent in se tale principium motus & quietis internum, sed ab artifice. Deinde per eandem hanc restrictionem ad Physicam non pertinere putatur, Medicina, Astronomia, Optica, Musica, Mechanica & quæ alia sunt: nam licet Medicina agat de corpore naturali sc. homine, non tamen agit, de eo quatenus naturali, sed quâ sanabili: Sic Astronomia agit quidem de Astris, quæ sunt corpora naturalia, sed sub alia ratione, nimurum quatenus moventur. atque ita de cæt.

II.

Quæritur, quid de hisce sentiendum sit? Resp. Non ita evidens esse, discrimen naturalium & artificialium in eo consistere,

sistere , quod naturalia habeant principium operandi & cessandi internum artificialia externum, hâctenus enim nondum probatum id est. Imò non minus corpora naturalia non viventia, quam artificialia externam causam requirere, à quâ moveantur & agantur, vel etiam à motu & actione ad quietem reducantur, infrà in materiâ de motu manifestum faciemus. Sed hic ex occasione queritur, utrum ergò inter corpora naturalia ita dicta , & artificialia nullum discriminem sit statuendum ? Resp. Principium externum à quo aguntur & moventur, vel ad quietem reducuntur corpora naturalia sèpius nos latet , ac sensus & intellectum nostrum effugit ; quod in artificialibus non ita locum habet , ubi artifex facile cognoscitur. Deinde corpora naturalia agunt, moventur , & cessant , secundum naturam & ordinem à Deo in mundo constitutum, sine interventu arbitrii humani ; artificialia non nisi interveniente arbitrio humano. His adde opera naturalia multò subtiliora & perfectiora esse iis operibus quę ab arte peraguntur ; undè est quod vulgò dici solet , artem imitari naturam, esse simiam naturę : atque hoc verum esse patet res ipsas inspiciendo ; vel perfectissimum enim artificium , ut machina quædam mechanica, ab ingeniosissimo artifice fabrefacta , cum bilissimo naturę opere (sume vel imperfectissimi animalculi corpusculum) ratione perfectionis , & structurę conferri nullo modo potest.

III.

Alterum quod in hoc negotio minus placet est, quod per restrictionem illam, quâ dicitur Physica agere de corpore naturali quâ naturali , medicina , Astronomia , Mechanica Optica &c. excludantur. Esto enim consideret medicina hominem quâ sanabilem , Astronomia astra tractet quatenus moventur , & ita in cæt. Verum dico si propterea hæ disciplinæ sub Physicâ non comprehendantur ; plures aliæ partes physicæ à trunco suo resecande sunt; imò tot diversæ à physicâ scientiæ sunt constituedæ, quot sunt diversæ , tum corporis in genere, tum diversarum ejus specierum affectiones : non minus enim sanabilitas , hominis,

hominis, motus, astrorum est affectio, quam quantitas, localitas, calor frigus &c. sunt suorum corporum affectiones: nec minus cum de hisce aliis corporis affectionibus in Physicis agitur, de corpore naturali agitur, quatenus iis affectionibus subest, quam in Medicina tractatur de homine qua sanabili, in Astronomia de stellis quatenus moventur. Quare cum nihilominus secundum numerum diversarum corporum affectionum, ab hujus sententiæ assertoribus, non constituantur tot distinctæ à Physicâ scientiæ, neque propter eandem rationem per restrictionem illam Medicina, Astronomia &c. à terminis Physicæ excludendæ sunt. Atque hinc ulterius patet restrictionem illam, qua naturale in definitione Physicæ prorsus inutilem & absurdam esse.

IV.

Nos ergò simplicius definimus physicam quod sit *Scientia substantiæ corporeæ omniumque ejus affectionum & operationum*. Quod cum Physica non minus Practica sit, quam Theoretica, ut superiori disp. probatum est, *Scientia* nomine in definitione intelligimus non minus Practicam quam Theoreticam. Dico *Substantia corporeæ* potius, quam corporis, ad evitandam vocis ambiguitatem; nam & Mathematicis magnitudo ab stractè sumpta tribus dimensionibus prædicta, corpus vocatur. Porrò substantię corporeę nomine intelligitur substantia contradistincta substantię spirituali. Definiri ea vulgò solet, quod sit ex materiâ & formâ substanciali composita; quam definitionem licet falsam esse non dico, huic tamen loco parum congruere affero: nam ut ut verum sit, corpus ex materiâ & formâ substanciali componi; cum tamen id probari non posse, nisi multa adhibeantur, & in subsidium vocentur, quæ ab iis, quæ postmodum in progressu discipline demum demonstranda sunt, dependent, ea hic in limine scientiæ adducere, & præsupponere contrà omnem legitimæ scientiæ methodum est, quæ docet ea præmittenda esse, quæ à sequentibus, quoad sui cognitionem, non dependent; quæque per sequentia non debent demonstrari, sed per quæ sequentia demonstrari possunt.

V.

Malumus igitur hoc loco imperfectam substantię corporeę definitionem adferre , perfectiorem postea , ubi locus postulat, substituturi. Dicimus igitur eam esse *Substantiam in longum , latum , & profundum extensem , cum partium suarum , & cuiusvis alterius corporis impenetrabilitate*. Atque hanc definitionem quam exactissimè fieri potest naturam corporis nobis delineare atque à substantiis spiritualibus distinguere putamus. Extensio in longum , latum & profundum est substantię versus omnia latera diffusio , coëxistentia cum loco divisibili. Impenetrabilitas negat potentiam recipiendi partes intrà partes , & aliud quodvis corpus intrà essentię suę limites. De quibus sequenti disputatio ne latius agendum erit.

VI.

Ex iis quæ dicta sunt patere potest quam latè termini Physice extendantur ; nimirum quidquid de corpore , ac variis ejus speciebus quomodounque & sub quounque respectu dici potest, est considerationis Physicæ. Comprehendit sub se Medicinam, Astronomiam, Opticam, Diopticam, Catoptricam, Musicam, Mechanicam, Agriculturam, Artes Mechanicas, Chimiam, Magiam naturalem & si quæ plura sunt ejus generis.

VII.

Dividitur Physica in partem universalem & specialem : pars universalis est , quæ agit de substantiâ corporeâ in genere , affectionibus & operationibus , quæ omnibus corporibus sunt communes. Pars specialis est , quæ agit de variis corporum speciebus , & individuis , singulorum naturam explicat, affectiones eorum , & operationes scrutatur. In tractatione pars universalis præmittenda , ut ea quæ omnibus corporibus sunt communia, postea in singulis corporum speciebus ut demonstrata possint præsupponi. Absolutâ parte universali, ad partem specialem accedendum , ubi primò agendum venit de corporibus existentibus collective sumptis , quatenus universum vel mundum constituunt. Deinde mundi partes seorsim considerandæ , natura
cœli

cœli & corporum cœlestium , stellarum , planetarum , cometarum atque aliorum , que in cœlo conspicuntur , explicanda . Postea natura terræ nostræ examinanda , simplicium , mixtorum , in animatorum , animatorum species seorsim tractandæ .

C O R O L L A R I A .

I.

An Physica vere sit scientia ? Aff.

II.

An unum corpus in duobus locis , & an duo corpora in uno eodemque loco simul esse possint ?
Neg. utrumque .

III.

An actu infinitum in natura detur ? Neg.

IV.

An locus sit superficies , ut vult . Arist . 4 Phys . cap . 4 . an vero spatiū corpore plenum ? Neg . prius Aff . post .

V.

An Dæmonibus competit generatio ? Neg .

An

V I.

An sensus positis ponendis possint errare? Neg.

V II.

An mundus potuerit esse ab æterno? Neg.

V III.

An repugnet dari vacuum? Neg.

V IX.

Corpora divisibilia componuntur ex Atomis quantis indivisibilibus.

X.

Vena cava non ex hepate, sed ex corde originem dicit.

X I.

Solas venas lacteas, non meseraicas deferendo chylo destinatas esse defendimus.

X II.

Chylus non ad hepar sed immediatè ad cor defertur per ductum chyliferum nuper inventum.

X III.

Motus cordis causa non sunt spiritus à cerebro missi, quia antè formatum cerebrum cor movetur.

V

F I N I S.